



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

6. Mensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

noua conditio apponatur, nec remittere promissionem de non meliorando factam, ut certum matrimonium inear. Nec profunt Antapochæ, vulgò (cōtrascripturæ) quibus filij pollicentur, se melioratione non vsuros. Idem dicendum de promissione alicuius donationis faciendæ ab alio ratione huius matrimonij, prædicta tamen remissio valebit in remittentis præiudicium, *lib. 6. tota disp. 32.*

2 Recipiens fictè patrimonium, ut ad ordines promouetur, data antapocha, aut fidei reddendi, cum promotus fuerit, tenetur id patrimonium restituere, *lib. 6. disputat. 32. num. 8.*

3 Melioratio causa dotis, valet in Castella in foro conscientiarum, nec restituenda est, *lib. 6. disp. 33. nu. 3.*

Mensis.

1 Quando lex, vel statutum concedens mensem, disponit, à quo tempore mensis incipiat, ut à die electionis, vel à die per iudicem designanda, accipitur mensis secundum quod occurrit in Calendario, & quod ex illo mense defuit, accipitur de sequenti de momento ad momentum. Et si dies bisextus contingat in eo mense, illi duo dies pro vno computantur in favorabilibus; secus in odiosis. Quando verò ius, vel dispositio non exprimit à quo tempore mensis incipiat, tunc computatis omnibus anni diebus, accipienda est duodecima anni pars pro quolibet mense. Vnde bimestre

con-

concessum ad deliberandum de ingressu religionis, computabitur eo modo, quo tunc occurrit in Calendario, *lib. 2. disput. 24. à nu. 14. vsque ad 21.*

2 Indulgentia concessa per vnum mensem, quando non exprimitur à quo tempore incipiat, tunc computatis omnibus anni diebus, accipienda duodecima anni pars pro mense, *lib. 2. disp. 24. nu. 20.*

Metus.

1 Metus diffinitur in communi sic. Est instantis periculi, vel futuri causa, mentis trepidatio. Diuiditur in metum inconcussuum, & impressuum, suspensionis violentæ; seu in compulsuum potentia, & in metum reuerentialem, & in metum perfidia. Vltimò diuiditur in metum cadentem in constantem virum, & inconstantem, *lib. 4. disp. 1. à nu. 7. vsque ad 9.*

2 Quinque cõditiones requiruntur ad metum cadentem in constantem virum. Prima est, vt malum, quod timetur, sit graue. Secunda, vt timens rationabiliter credat, malum sibi imminere. Tertia, vt metum incuriens potes sit minas executioni mandare. Quarta, quod metum incuriens minas exequi solitus sit. Quinta est, vt timens non possit facile occurrere malis, quæ timentur implorando alicuius auxilium, *lib. 4. disp. 1. à n. 10. vsque ad 23.*

3 Requiritur electio minoris mali, vt ex parte subiecti dicatur metus cadens in virum constantem, vt timens cõstanter agat, culpeque